

---

LECTORI  
GRAECARVM LITERARVM  
STVDIOSO

S

IOH. FRIDER. FISCHERVS AA. M  
SCHOLAE THOMANAE RECTOR

De odariis Anacreontiis, quae circumferuntur, non vnam semper fuisse doctorum hominum, eandemque, sententiam constat. Alii enim omnium horum carminum vetustatem, atque integritatem, oppugnare aucti sunt, nullumque eorum, quae quidem ab Henrico Stephano prolata essent, ab Anacreonte, Teio vate, \* profectum esse contenderunt. Atque huius quidem sententiae dux, et princeps, fuit Franciscus Robortellius,<sup>1</sup> Vtinensis, acutissimus saeculi sexti decimi cri-

a 5

ticus:

\* *Historiam poëseos Graecae brevioris ab Anacreonte vsque ad Meleagrum ex Anthologia Graeca adumbratam* edidit Car. Aenoth. Sonntagius Lipsiae A. C. 1785. 8.

1. In disputatione de arte, siue ratione, corrigendi antiquorum libros, quae inserta est To. 2: thes. crit. Gruter., et adiuncta Gasp. Scioppii de A. C. commentariolo, Amstel. a. 1662. 8. Verba Robortellii sunt p. 17. Grut. p.

103. Amstel., *Haec ego de generibus chartarum dicere volui, ut intelligatis omnem illarum usum, et antiquitatem. Quare perridiculus est is, qui nuperrime, editis quibusdam insulsi hominis Graeci lufibus, Anacreontis odas esse scribit, hoc vtens argumento, quod in cortice essent descripti; ut hac ratione scilicet nobis imponeret.* add. p. 27. Gruter. p. 119. Amstel.